IN FVNVS

FRANCISCI PERETTI SIXTI V. PONT. MAX. NEPOTIS

AD ALEXANDRVM PERETTVM CARDINALEM MONTALTVM

IOSEPHI CASTALIONIS ANCONITANI CARMEN



ROMÆ
Apud Franciſcum Zannettum. M.D.LXXXVIII

PERMISSV SVPERIORVM

IN FVNVS
FRANCISCI PERETTI
SIXTI V. PONT. MAX.
NEPOTIS
AD ALEXANDRVM
PERETTVM CARDINALEM
MONTALTVM
IOSEPHI CASTALIONIS
ANCONITANI CARMEN



ROMÆ
Apud Franciſcum Zannettum. M.D.LXXXVIII

PERMISSV SVPERIORVM

IN FVNVS

FRANCISCI PERETTI

SIXTI V. PONT. MAX.

NEPOTIS

AD ALEXAN. PERETTVM

CARD. MONTALTVM

IOSEPHI CASTALIONIS

CARMEN

AVſoniae MONTALTE decus, tutelaq. rerum,
Quem praematuro SIXTVS donauit honore,
Admirans in te caeleſtia ſemina laudum,
Praeſtanteſq. animi motus iuuenilibus annis.
Non te poſthabitis grauioribus otia curis
Lenta tenent, aut vlla capit damnoſa voluptas.
Sed tibi per duros eſt dulcis parta labores
Gloria, virtutiſq. volens petis ardua celſae.
Magnus Alexander, quem mente, & nomine reddis,
Belligeras voluens puerili in pectore curas

Talis erat, famaeq. puer flagrabat amore.
Tu fers imperij tum magno ingentia SIXTO
Pondera Romani, veluti ceruicibus olim
Suppoſitis vaſtum Alcides fulciuit Olympum.
Nunc curas pius exequias, atque oſſa tuorum
In tumulum tranſlata nouum componis, & ornas.
Nutrici quod iuſta dedit, caroque parenti
Inferias miſit, laudatur Troius heros.
Impius, ingratuſque, negat qui talia mendax
Officia eſſe accepta DEO, monumenta ſuorum
Praeterit, amiſſoſq. malus non curat amicos.
At tibi non animo FRANCISCVS auunculus alto
Excidit, exemplum ſolidae virtutis, & aequi.
Illum crudeli plorauit funere raptum
Roma ſibi, luxit genitrix maeſtiſſima natum,
Et tanto potuit ſupereſſe CAMILLA dolori
Italidum longe fortiſſima femina matrum.
Praeſidium heu quantum Picenus perdidit orbis,
Et quantum amiſit columen res ſumma Quiritum.
O modo ſi felix noſtros ſeruatus in annos
Viueret, ingenti curarum mole leuaret
Sollicitum SIXTVM, dum toti conſulit orbi.
Ferret opem populis, atque ipſis Regibus eſſet
Auxilio, tegeret ſocios, ditaret egentes,
Et meritis famam in longum produceret aeuum.
Tu memores tanti renouans herois honores
Inferri Exquilijs corpus, condiq. ſepulchro

Praècipis. Eruitur, ſacraq. effertur ab aede,
Quam PIVS alitibus ſuperis, magnaeq. Parenti
Numinis aeterni Thermis ſacrauit in altis.
Vndique conueniunt ad munera tanta frequentes
Romulidum primi ſancta cum Principis aula,
Pontificeſq. ipſi populorum, ex partibus orbis
Inclyta diuerſis retinet quos Roma vocatos.
Pompa Quirinalem longo tenet ordine collem.
Plurimus in varia praecedit veſte ſacerdos
Sacra canens, crebris collucent omnia flammis.
Romani proceres vltro, lectiq. ſodales
Impoſitum tollunt humeris, ſubeuntq. feretro.
Ingens proſequitur comitum manus. area magno
Vix ſatis eſt populo. iam Fons aperitur eunti,
Qui triplici in latam procurrens fornice frontem
Diuidit aetherias pinnis ſublimibus auras,
SIXTI opus aeternum. iam proxima linquitur aedes,
Virginibus Pater intactis quam dedicat. & iam
Aequataeq. iugis valles, egeſtaq. paſſim
Apparent iuga. progreditur quacumque feretrum,
Per SIXTI monumenta ſui deducitur, & iam
Tranſmiſſo, nomen cui factum à vimine, colle
Suauius Alcinoi ſpirantes praeterit hortos:
Iam ſuper Exquilias, celebris iam limina templi
Sancta ſuper vehitur, mediaq. reponitur aede.
Huc magni coiere Patres, qui murice ſacro
Tempora velati tecum ſuprema Parentis

Romani

Romani propiore gradu faſtigia tangunt.
Hi tecum exequias celebrant, ſacriſq. peractis
Optimus Antiſtes Solymorum BLONDVS ad aras
Defuncto æternam lucem, requiemq. precatur.
Tum demum corpus plumbo, clauſumque cupreſſo
Conditur aurati ſub limina pulchra ſacelli,
Quod CHRISTI poſuit SIXTVS naſcentis honori.
Sed nullo pietas ſpatio tua, limite nullo
Clauditur, officio vix vno rite ſoluto,
Altera cura ſubit ſtimulis maioribus vrgens.
Nam caram tumulo matrem poſiturus eodem
Diceris, & digne quondam quæ ferre nequiſti
Paruulus, in praeſens tempus ſuprema parare
Munera, praereptae ſolatia magna parentis.
Illa quidem memoris ſemper ſuſpiria nati,
Et deſiderium, longumq. accepit amorem.
Sed nunc laeta nouo gaudebit honore ſepulchri,
Proq. labore vteri, partuſq. doloribus, & pro
Tollendi ſtudio, & dulcis pro munere lactis
Annua dona feret; caeloque repoſta ſereno
In terris viuet nati pietate perennis.
O nullos vmquam digne memoranda per annos
Vis animi. ſuperas caeli ſic itur ad arces.
Hac ſancti inceſſere patres, quos ſupplice voto
Roma colit, quorumq. Italae ſtant numine terrae.
Hanc inſiſte viam, Latiae ſpes maxima gentis,
Et ſaecli MONTALTE decus, tibi magnus eunti

Pan-

Pandit iter SIXTVS, tetra & per nubila lucem
Conſpicuam praefert. hos tu virtute petiſti
A puero curſus. retine hos melioribus annis.
Et verae metam laudis continge propinquam.

F I N I S.